

235 ecclesiam uadat, aut si aliquo furante impediatur
ne eleemosinam det. Tunc ergo solum omissio
imputatur ad peccatum, cum habet causam intrin-
secam non quamcumque set uoluntariam; quia si
etiam impediretur ex causa intrinseca non uolun-
240 taria, puta febre, eadem ratio esset sicut et de
causa extrinseca. Ad hoc ergo quod omissio sit
peccatum requiritur quod omissio causetur ex
aliquo actu uoluntario.

Set uoluntas est causa alicuius quandoque
245 quidem per se, quandoque autem per accidens :
per se quidem sicut quando per intentionem agit
ad talem effectum, puta si aliquis querens inuenire
thesaurum, fodiens inueniat; per accidens autem,
sicut quando preter intentionem, puta si aliquis
250 uolens fodere sepulcrum fodiendo inueniat the-
saurum. Sic ergo actus uoluntarius quandoque
est per se causa omissionis, non tamen ita quod
uoluntas directe feratur in omissionem, quia non
ens et malum est preter intentionem et uoluntatem,
255 ut Dionisius dicit iv cap. De diuinis nominibus,
uoluntatis autem obiectum est ens et bonum;
set indirecte fertur in aliquid posituum cum
preuisione omissionis consequentis, sicut cum
aliquis uult ludere sciens quod ad hoc concomi-
260 tatur non ire ad ecclesiam; sicut et in transgre-
sionibus dicimus quod fur uult aurum non
refugiens iniustitie deformitatem. Quandoque uero
actus uoluntarius est causa per accidens omissionis,
sicut cum alicui occupato circa aliquem actum non
265 uenit in mentem aliquid quod facere tenetur.
Et non differt quantum ad hoc utrum actus
uoluntarius qui est causa omissionis per se uel
per accidens, simul sit cum ipsa omissione uel
etiam precedat; sicut dictum est de eo qui nimia
270 occupatione tarde incipiendo dormire impediuit
se ne surgeret matutinarum hora. Sic ergo
quantum ad hoc est prima opinio uera, quod ad
omissionem requiritur actus uoluntarius ut causa.

Quia ergo utraque opinio aliquo modo uera
275 est, ad utrasque rationes respondere oportet.

1. Ad primum ergo dicendum quod in illa
diffinitione peccati accipiendum est pro eodem
dictum et non dictum, factum et non factum, ut
supra dictum est.

2. Ad secundum dicendum quod aliquid dicitur 280
esse uoluntarium non solum quia cadit sub
uoluntatis actu, set quia cadit sub potestate
uoluntatis. Sic enim et ipsum non uelle dicitur
uoluntarium : quia in potestate uoluntatis est
uelle et non uelle, et similiter facere et non facere. 285

3. Ad tertium dicendum quod plura requiruntur
ad bonum quam ad malum : quia, ut dicit Dionisius
rv cap. De diuinis nominibus, bonum est ex
causa una et integra, malum autem ex particula-
ribus defectibus. Ad hoc ergo quod sit meritum 290
requiritur quod sit actus uoluntatis, set ad hoc
quod sit demeritum sufficit hoc solum quod non
uelit bonum quando debet, nec oportet quod
semper uelit malum.

4. Ad quartum dicendum quod in peccato 295
transgressionis non est uerum quod peccatum sit
priuatio, set quod peccatum est actus priuatus
debito ordine, sicut furtum uel adulterium est
quidam actus inordinatus. Eo enim modo pecca-
tum nichil est, quo nichil fiunt homines cum 300
peccant : non quidem ita quod sint ipsum nichil,
set quia in quantum peccant, priuantur quodam
bono, et ipsa priuatio est non ens in subiecto;
et similiter peccatum est actus priuatus ordine
debito, et secundum ipsam priuationem dicitur 305
nichil. Set in peccato omissionis per se loquendo
uerum est quod est sola priuatio; subiectum
autem priuationis non est habitus set potentia, sicut
subiectum cecitatis non est uisio set id quod est
aptum natum uidere. Omissionis igitur subiectum 310
est non quidem actus aliquis set potestas uolun-
tatis.

5. Et sic patet solutio ad quintum quod obicitur
de malo.

6. Ad sextum dicendum quod in illa auctoritate 315
sub facere includitur etiam non facere, sicut
dictum est.

7. Ad septimum dicendum quod laus et uitu-
perium non solum debentur actibus uoluntariis,
set etiam cessantibus ab actu. 320

8. Ad octauum dicendum quod illa ratio
concludit quod actus requiratur ad omissionem
sicut causa; quamuis possit dici quod fomes de
quo ibi loquitur Glosa, non est actualis concu-
piscencia set habitualis. 325

Peccia 8 : α = AmAnLbLnOP²P²P²R²Tr² β = EtP²VaW γ = ArCaO²R²V²V²V² 252 omissionis] actus *prae*m. *codd. et del.*
264 alicui] aliquis *prae*m. *codd. et del.* 265 aliquid *coni. cum sec.m.O²P²* id *sec.m.P²P²* illud sEt ad *est.* 269 qui *scrips. cum* β *sec.m.*
OP²Tr²] *om. P²* quod *est.* 311 potestas *scrips. cum* OP²P²R²S²Tr²Tr² W *sec.m.* AnArEtP²P²M²] potentia sCa potens *est.* (*cf. Praef. p. 37**)
319 uoluntariis] uoluntatis P²P²P²

249 si aliquis uolens...thesaurum : exemplum Arist. *Metaph.* V 22 (1025 a 16-17). 255 Dionys. *De diu. nom.* cap.4 § 32 (PG 3, 732 C-D)
sec. transl. Sarraceni (Dion. 306). 269 sicut dictum est : in principio resp. 279 supra : in resp. 284 in potestate uoluntatis...non
facere : cf. Arist. *Ethic.* III 1 (1110 a 17-18). 287 Dionys. *De diu. nom.* cap.4 § 30 (PG 3, 729 C; Dion. 298). 300 nichil...cum peccant :
cf. August. *In Iob. ev. tract.* I c.1 n.13 (PL 35, 1385; CCL 36, 7). 316 sicut dictum est : in resp.

9. Ad nonum dicendum quod non omnis negatio fundatur super affirmationem realem : quia, ut Philosophus dicit in Predicamentis, non sedere uere dici potest et de eo quod est et de eo quod non est ; set tamen omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione intellecta uel ymaginata : necesse est enim esse apprehensum id de quo aliquid negatur. Sic ergo non est necessarium quod omissio fundetur in aliquo actu reali existente. Si tamen omnis negatio in aliqua affirmatione reali fundaretur, ut sic negatio pro priuatione poneretur, non oporteret quod omissio, que est negatio actus, fundaretur in actu set quod fundaretur in potentia uoluntatis.

10. Ad decimum dicendum quod non solum in omissione set nec etiam in transgressionem semper est necessarium quod sit actualis contemptus set contemptus quidem habitualis uel etiam interpretatus, quia scilicet interpretatur aliquem contempnere qui non facit quod iubetur uel facit quod prohibetur.

11. Ad undecimum dicendum quod omissio opponitur precepto affirmatiuo, quod licet obliget semper non tamen obligat ad semper : non enim obligatur homo ad hoc quod semper insistat parentibus honorandis, set tamen semper obligatur homo ut parentes honoret tempore debito. Tandiu ergo durat actu peccatum omissionis, quandiu durat tempus ad quod obligat preceptum affirmatiuum ; quo transeunte transit actu et manet reatu, et iterum redeunte tali tempore iteratur omissio.

12. Ad duodecimum dicendum quod sicut aliquis deficit a fine male agendo, ita desistendo a debito actu.

1. Ad primum ergo quod in contrarium obicitur dicendum quod ex illa auctoritate habetur quod ipsum non facere bonum sit peccatum, non autem remouetur quin huiusmodi quod est non facere bonum, causa sit aliquis actus.

2. Ad secundum dicendum quod pena datur pro omissionem actus sicut pro culpa, set tamen culpam contingit causari ab aliquo actu, qui quandoque est culpa, sicut cum peccatum est causa peccati, quandoque uero non culpa.

3. Ad tertium dicendum quod etiam quies innaturalis ex aliquo actu precedente causatur.

4. Ad quartum dicendum quod Deus neque

uult mala fieri neque uult mala non fieri, set tamen hoc ipsum uult quod est se non uelle mala fieri et non uelle mala non fieri.

5. Ad quintum dicendum quod actus qui requiritur ad omissionem non semper se habet per accidens ad ipsum, set quandoque est causa per se, ut dictum est.

6. Et similiter dicendum est ad sextum de transgressionem.

7. Ad septimum dicendum quod omnis actus per rationem regulari debet ; unde omnis actus potest non bene fieri si non sit debite regulatus, ut scilicet fiat quando debet et propter quod debet, et sic de aliis que sunt in actibus obseruanda. Vnde etiam hoc ipsum quod est diligere Deum potest male fieri, puta si quis diligit Deum propter temporalia ; et hoc ipsum quod est laudare Deum ore, potest male fieri si hoc faciat quando non debet, quando scilicet alia facere tenetur. Set si actus accipiatur regulatus, sicut significatur cum dicitur temperanter agere uel iuste agere, sic non potest male fieri. Si tamen daretur quod aliquis actus non posset male fieri, non esset inconueniens si esset causa per accidens omissionis : quia bonum potest esse per accidens causa mali.

8. Ad octauum dicendum quod etiam peccati originalis causa est aliquis actus, scilicet peccatum actuale primi parentis.

9. Ad nonum dicendum quod sicut ex parte uirtutum est actus et habitus, ita ex parte uitiorum ; habitus tamen possunt dici uirtutes uel uitia, set soli actus dicuntur merita uel peccata.

Articulus secundus

Secundo queritur utrum peccatum consistat in actu uoluntatis tantum. Et uidetur quod sic. Dicit enim Augustinus in libro Retractationum quod non nisi uoluntate peccatur. Ergo peccatum in solo actu uoluntatis consistit.

2. Preterea. Augustinus dicit in libro De duabus animabus "Peccatum est uoluntas retinendi uel acquirendi quod iustitia uetat". Voluntas autem hic accipitur pro actu uoluntatis. Ergo peccatum in solo actu uoluntatis consistit.

*Pecia 8 : α = AmAnLbLnOpPpPpRs*Tr*Tr² β = EtPpVaW γ = ArCaO²Rs²V²V²V²*
 338 male scrips. cum Tr² Rs²V² sic. m. AnCaEtPpPpTr² malo ref.

343 quidem plane AmAnPpTr² quid² est.

328 Arist. *Prædic.* cap. 10 (12 b 12-15). 379 ut dictum est : in resp.

Art. 2 Parall. : *Super Sent.* II d. 35 a. 4. 3 August. *Retract.* I c. 15 n. 2 (PL 32, 609 ; CSEL 36, 74). 6 August. *De duabus anim.* cap. 11 (PL 42, 105 ; CSEL 25-1, 70). 9 pro actu uoluntatis : cf. Petrus Lomb. *Sententiarum* II d. 35 c. 1 n. 1.